# DISPUTATIO MEDICA

DE

# APOPLEXIA PHRENITICA,

SIVE

# HYDROCEPHALO ACUTO.

AUCTORE THOMA MUNRO SCOTT.

## PRAEFANDA.

MEDICI hodierni sibi persuaserunt, complura valetudinis adversae genera, quae multa hominum millia quotannis nunc enecare solent, antiquos penitus latuisse; imo vero corpus humanum non olim implicuisse. Neque profecto inficias est eundum, id recte de malis pluribus praedicari. Exemplo sit morbus venere inhonesta oriundus; quem satis constat America satum a COLUMBI sociis, inde ad Europam traductum fuisse. Quidam vero

sunt morbi, causis exorsi, quales nusquam et nunquam desunt, quos eo vetustioribus ignotos fuisse nuperi contendunt, quod antiquiores rei medicae sacerdotes nihil pene de iis scriptis mandarint. Inter hujusmodi morbos habenda est *Apoplexia Phrenitica;* quam non veteres plexuisse credere nolo. HIPPOCRATES equidem non nisi hic illic parce et satis obscure, quasdam ejus notas literis tradidit; toties vero perpauca ista hic vir praeclarus et alii e veteribus vix aliorsum referenda proposuerunt, ut judicare liceat eos signa hujus valetudinis propria, partis affectae et fontis, unde nascerentur, ignaros, memorasse.

Ex recentioribus, WHYTTIUS et QUINNIUS * primi omnium, ut opinor, hinc annis circiter sexaginta, paulo subtilius hujus mali notas inquisiverunt, ejusdemque causas sive abditas, sive evidentes, et sedem, prius in obscu-

* Vide Whyttii Opera.—Vide Edinburgh Medical Essays.

ro positas, illustrarunt. Nec vero his solis palma debetur: recentiores enim, Rushius, Fothergillius et Cheynius, illorum aemuli, plura utilissima de hoc gravi argumento adjecere; quod, eheu! ingenio futuro adhuc se campum amplissimum explorandum praebet. Fateri enim cogimur, artem medendi hoc diro morbo fere semper imbecilliorem esse.

Haec praefatus, ipsam rem propositam aggrediar; nec spe nec cupiditate novi cujusvis proferendi adductus; sed quo legi imperanti, ut de aliqua re ad artem sanandi pertinente scribam, non inutiliter obsequar, quaeque graviora ad argumentum tanti momenti spectantia editurus.

## DE NOMINE ET DEFINITIONE.

Medici aliis alii nominibus hunc morbum donarunt, prout quisque de ejus natura et causa continente senserit. Plures eum *Hydrocephalum Internum*, alii *Hydrocephalum Acutum*, quidam *Hydrocephalum Phreniticum*, Cullenus *Apoplexiam Hydrocephalicam*, nuncuparunt. Quae voces omnes culpa non prorsus vacant. Ista, *Hydrocephalus*, eo displicet, quod non semper atria cerebri hoc malo tentatis latice turgent. Malo *Apoplexiam Phreniticam* vocare; illa enim vox ad notas cerebri pressi, quae morbum propositum inveterascentem continent, spectat: haec autem praegressam cerebri incitationem, vel forsan inflammationem, insignit.

Hanc valetudinem ad *Classem* ‘ Neuroses’ *Ordinem*que ‘ Comata’ relatam, et *Apoplexiam Hydrocephalicam* dictam, CULLENUS ita definivit : “ Paulatim adoriens ; infantes et im-“ puberes, primum lassitudine, febricula, et “ dolore capitis, dein pulsu tardiore, pupil-“ lae dilatatione, et somnolentia afficiens.”

Bene id vocabulum ‘ saepius’ antecessisset ‘ plerumque.’ Interdum enim adulti in hoc malum incidunt. Male porro tacuit CULLENUS de motu arteriarum ad finem celerrimo. Quibus in animo habitis, hujuscemodi verba melius definire judico :

“ Inflammatio cerebri lentior, sensim ac-“ cedens ; saepius infantes et impuberes, ali-“ quando adultos, nunquam senes, primo las-“ situdine, febricula, capitis dolore, et arte-“ riarum motu concitato ; dein somnolentia, “ pupillis patulis, et pulsu arteriarum tardi-“ ore ; tandem hoc celerrimo et summo stu-“ pore afficiens.”

## DE SIGNIS.

Indiciis hujus morbi acriter observatis, medicorum plerique cursum ejus in tres partes diviserunt. Ex his prima notis cerebri valde concitati, imo vero fortasse inflammati; secunda ejusdem latice effuso pressi; ultima vero, malis secundi propriis gravioribus, indicantur.

I. Quem invasurus sit hic morbus, ei corpus et animus elanguent: solvuntur omnia membra. Cibos homo fastidit, nec raro ingestos evomit; nec multo postea eum febricitare testantur artus invicem modo frigore inhorrentes, modo exardentes; idque praesertim die advesperascente. Simul atque aeger febrire coeperit, caput acute dolet, aut circa frontem aut verticem. Aliis dolor lateri capitis insidet alterutri, nec

raro ad eam partem inclinatur caput: continenter ingravescit febris. Rubescit vultus praeter consuetudinem, aut ubique aequaliter, aut ex alterutra parte. Oculos praeter naturam irritabiles moveri piget; et *iris* justo arctior lucem vix patitur. Sonant aures. Aeger aut noctu vigilat, aut somno non refecturo quietatur. Dormiens enim, aut somniis diris vellitur, aut dentibus stridet. Crebro et anxius nec sine labore insigni anhelat; suspirat, et ejulatus acerbissimos edit; perinde quasi aerumnis quaesitissimis conficeretur. Arteriae saliunt citius, dure, at non fortiter. Quodque ingestum protinus fere evomitur. Alvus tardissima raro excernit, et aegre: descendit autem viride aut nigrum, foetens et simul perexiguum. Cutis fere inarescit; aut si humet, sanguisve e naribus profluit, nihil aegroto exinde succurritur. Lingua candere et arere solet; et homo admodum sitit. Nunc vero pene delirat, certeve non prorsus suae est mentis.

II. Notae supra traditae serius ocius, certae legis expertes, in alias abeunt. Illas jam decedentes excipit torpor. Vis sentiendi, prius incitatior, hebetari incipit. Pupillae oculorum, *iridis* fibris resolutis, luci objectae non coarctantur. Interdum aeger duplicem uniuscujusque rei imaginem hallucinatus percipit, quod malum *Strabismus* vocatur. Arteriae, quae prius crebro et concitatae micuerant, nunc tarde, imparibus intervallis, et exiliter moventur. Neque tamen mitescit febricula. Caput quoque assiduo dolore, ut antea, cruciatur; et infelix continenter fere plorat. Adhuc cibum respuit, et acceptum vomitu ejicit; inter spirandum aliquando stertit. Alvus nihilo citior durum, exiguum et atrum, uti antehac, dejicit. Nosse vero juvat non semper cibos fastidiri et evomi. Docent enim auctores fide summa dignandi, quosdam hoc malo tortos nunc praeter naturam appetentes et edaces fieri. Interdum vermes cum stercore descendunt. Modo infelix delirat; saepius

autem soporatur, sentiendi facultate pene privatus, nec irritamentis acerrimis ciendus. Haec mala non continenter saeviunt, at modo quiescunt; nunquam enim non viribus novis repetunt, demum fatum illatura.

III. Paucis diebus nova malorum cohors accessura omnia in praeceps ferri arguit. Alte stupet infelix; mens labat; hebescit sensus; magis patent pupillae, nec oblata lucerna contrahuntur; et demum infelix obcaecatur. Arteriae, quae paulo antea tarde et inaequaliter micuerant, nunc motu celerrimo tremere coeperunt, languidissimo et simul aequali. Quoties equidem intra sexagesimam horae partem exagitentur, prae motu citissimo, vix numerando statuere licet. MONRO secundus affirmat eas amplius ducenties saluisse, nec paribus intervallis. Spiritus summo nunc labore trahitur et emittitur. Artus convelluntur, vel omnes; vel corporis latus alterutrum, altero saepe resoluto. Alvus, quae pigra nil nisi acriter soli-

citata dejecerat, nunc soluta, mentis injussu profluere incipit, vermibus simul excretis. Solutis gulae fibris, deficit aegro vorandi facultas. Interdum cutis coeruleis maculis, morte jam instante, turpatur. Urina, citra animi imperium, multa et corrupta excernitur; et ne multa, notae omnes vitae flammam protinus extinguendam esse testantur. Demum infelix confectus nervorum distentionibus abripitur.

Indicia supra proposita longe saepissime huic malo contingunt. Cum vero medicina nullas habeat leges perpetuas, scire licet subinde artus ineunte morbo convelli; nonnullis porro ventriculum sanissimum rite officio perfungi. Aliis arteriae ab initio ad finem creberrime moventur; interdum quoque principio celeriter, dein tarde, at non circa finem iterum incitato motu saliunt.

Raro hic morbus ultra diem vigesimum

perseverat; die decimo aut duodecimo, aut citius occidit.

---

## QUAE MORTUORUM SECTIS CORPORIBUS PATESCUNT.

Calvaria * subducta cerebrum et membranae ejus sanguine praeter consuetudinem referciri comperiuntur. Venae piae matri inspersae potissimum turgent. Atria cerebri aut omnia, aut quaedam, latice praeter naturam intenduntur; quae rarius membranis interjici conspicitur. Humoris copia alias est alia. Raro amplius unciae octo, et fere quatuor hujus inveniuntur. Nosse juvat eundem tenuiorem esse eo liquore, quo continetur hydrops, *albuminis* nimirum pene expertem; quippe qui calefactus vix aut ne vix quidem concrescit.

* Vide Baillie's Morbid Anatomy. Vide Cheyne on Hydrocephalus.

Cerebrum interdum tuberibus intus nodatur; quae modo dura, modo mollia, ad strumam referenda videntur. Hydatides aliquando *plexui choroideo* insident.

Venter hoc morbo implicitus persaepe tumet. Eum tumefacere reperta sunt glandes mesentericae duriores et grandiores, et aliquando *lien pancreas* et *jecur* ampliata. Quae satis ostendunt, quam *strumae* cognatus sit morbus, quem prosequor.

---

## DE CAUSIS.

Causae morborum duplices apud medicos ordinari solent; nimirum Abditae et Evidentes. Illae sunt, quae intus fere corpori inhaerentes, id morbis subeundis, admota noxa excitatrice, opportunum reddunt. Hae au-

tem, quae illatae, ipsos recta faciunt. De utrisque paucis disputabo.

*Causae abditae.*—Opportuniores sunt tenelli, quam juvenes aut adulti; quippe quia arteriae capitis maxime implentur et concitantur, ineunte aetate. Quos porro natura capite grandiore, vultu rubro et pulchriore, caesarie candida aut rufa, et oculis coeruleis instruxit, (quae ad *strumam* pertinent), hi praesertim sunt proclives, quos adoriatur *Apoplexia Phrenitica.* Ne multa igitur, duae praecipue res opportunitatem moliuntur; nempe infantia et *struma.* Jure igitur haereditario a parentibus ad natos hoc malum transferri, verisimile est. Illud certe constat, persaepe plures eadem stirpe prognatos, eodem absumptos fuisse.

*De causis evidentibus.*—Plures causae apud auctores memorantur: saepe tamen, unde provenerit hic morbus, penitus latet. Caput ictum, aut quovis alieno impulsu vio-

latum, dentitio, verminatio, cutis e variola, tinea capitis, rubeola, &c. deflorescens, inter noxas praecipuas habenda sunt.

Interdum secernendum aut excernendum aliquid ex improviso represso hoc malum peperit.

Denique, conjicio ullam causam, unde cerebri arteriae plus aequo concitantur et implentur, idem progignere posse: quod porro subinde nullam omnino evidentem agnoscit.

---

## DE SIGNORUM RATIONE.

Oculi irritabiles, nec lucis patientes, arteriae concitatae, cutis incalescens, dolor capitis, delirans aeger et motu vigil, cerebri vasis incitatis et repletis clare enascuntur. Cibi evomuntur, et alvus tardatur, eo quod ven-

triculus et intestinum nexu arcto cum cerebro sociantur, ejus bona aut mala acceptura.

Pupilla deinde patula, nec luci coarctanda, mens imagine uniuscujusque rei duplice falsa, spiritus impeditus, arteriarumque tardior motus, cerebrum latice jam profundi incipiente opprimi testantur.

Demum sentiendi facultas pene deleta, aeger obcaecatus, arteriae quam citissime motae, distentiones nervorum, et saepe urina et stercus animi injussu lapsa, cerebrum multo magis opprimi edocent. Res enim est notissima, et usu diuturno comprobata, cerebrum levius oppressum, motus, qui animo imperanti parent, pene delere; eos, qui eidem non obsequuntur, tardare; gravius autem pressum artus convellere, et motus, quibus mens non imperat, celerare.

## DE DIAGNOSI.

Morbus, quem prosequor, verminationem, mala dentientium propria, scrophulosam mensentericam, et quaedam alia, quodammodo simulat; a quibus, quo modo dignoscatur, paucis inquiram.

*Verminatio.* — Plures causae efficiunt ut plures notae eaedem vermibus intestino inhaerentibus, et *Apoplexia Phrenitica* enascantur. Utrumque scilicet malum infantibus, utrumque *struma* inquinatis saepius contingit. Nec silere oportet de nexu illo intimo, quo nervi fistulam alimenti cum cerebro sociant. Haec tamen signa verminationem ab *Apoplexia Phrenitica*, interdum saltem, discernere posse videntur.

Huic ineunti oculi irritabiles luminis non patientes sunt, et aliae cerebri incitati notae adsunt; illi nequaquam. Huic arteriae initio crebro et dure, dein tarde et inaequaliter, ad finem celerrime, micant: illi aut naturae convenienter; aut certe nil dignum notatu, aut insolitum exhibent. Huic artus raro nisi paulo ante mortem velluntur; illi continenter fere, at leviter. Huic porro contingit vomitus saevissimus, quod malum et dolor frontis vicissim torquent: illi ventriculus minus turbatur, et aeger cibi frequentius edacior, quam fastidiosus. Huic denique, alvus pigerrima medicamentis difficillime cedit, et descendit oleosum, atrum et foetens: illi vero, aut fluit, aut facile solvitur, et glutinosum pituitaeque simile dejicit. Eo siletur de pupilla, quod satis jam constat turbas ventriculi et intestini hanc ampliare posse.

*Mala dentientium propria.* — Dentientibus gingivae rubore efflorescunt, et dolent. Os iis salivae plenum, alvus citior; et haec mala

gingivis incidendis fugata, satis indicabunt eadem non *Apoplexiae Phreniticae* deberi. Denique motus arteriarum ter mutatus hanc ab illis discernit.

*Scrophula mesenterica.*—Quibus glandes *mesentericae* struma vitiantur, his, quam morbo, de quo agimus, aegris venter plus intumescit, et duratur. Tangente porro manu sentiuntur glandes ampliatae. Arteriae non praeter naturam cientur; neque torquent notae inflammati cerebri: oculi scilicet luminis sunt patientes, nec pupillae immobiles. Denique corpus quam maxime emacrescit, et alvus descendit male olens, corrupta et albida.

## DE PROGNOSI.

Plerique ex iis, qui de hoc diro morbo scripserunt, usu docti, ejusque sede, causa continente, et signis acriter observatis, raro

artem medicam ejus impetui obniti posse, et saepius esse desperandum, affirmant. Omnia sane metum, spem fere nihil incutit.

Monro * secundus, quo nemini fere contigit hunc morbum saepius curare, aut subtilius posse inquirere, se nunquam aegros ad salutem reduxisse fatetur.

Nec vero non aliqui medici, nec parvi nominis, contenderunt, spem non abjiciendam, et aegros jam in stuporem lapsos salutem recepisse. Quos potius malum huic consimile fefellisse, quam medicinam tantum pollere, judico. Quod quamvis ita se habeat, id tamen non iis vitio vertendum; desperantes enim non summa ope nitimur; et bene medico continenter in mentem venit, aegro spirante, moliendum et agendum esse.

Nec simul asserere dubitabo, cui oculi ob-

---

* Vide Monro on the Brain, Eye and Ear.

caecantur, cui arteriae citissime et exilissime saliunt, et membra convelluntur, eum mox esse periturum *.

## DE MEDENDI RATIONE.

Quo salus redeat, tria consilia, si fieri possit, exequi oportebit. Haec vero sunt,

1. Cerebri vasa concitata quam primum sedare.
2. Postea, si latice ejus cava turgere videantur, facere ut hic resorbeatur.
3. Notas molestiae genetrices consopire.

Quae quibus auxiliis fiant, considerabo.

1. Quo sedentur quam primum vasa cerebri concitata, sanguinis mittendus, caput ex-

* Duncanus noster duos sanatos esse cognovit, quibus jam facultas videndi penitus deleta fuerat: ex his alteri *strabismus* reliquam vitae partem superfuit.

ulcerandum et refrigerandum, alvus vacuefacienda, et alia, quae eodem pertinent, servanda.

Venas deplere ineuntibus malis oportet. Satius erit, ni fallor, venas capitis per hirudines aut cucurbitulas cum ferramentis exinanire, quam venam brachii incidere. Cerebro enim magis et citius succurritur, nec inde labuntur vires. Difficile est porro hanc venam infanti secare, quippe quae exilior esse solet, adipeque multo obtegitur. Arteria temporis aut vena juguli fere tuto et utiliter feritur: interdum aegrotante juvene, et signis acerbioribus, venam brachii icere licebit. Sanguis porro plus minusve, largius aut parcius eliciendus, prout postulent et suadeant aetas, vires, et signa.

*Exulceratio.* — Quam maxime juvat caput *emplastro* e *lytta* confecto exulcerare. Rutherfordius praeclarus semel hoc auxilio pene unico salute hunc morbum mutavit;

quod equidem adhiberi pariter jubent ratio et usus: illa quoniam, sanguine exinde ad exteriora vasa capitis converso, vacuefiunt arteriae cerebri: hic, quod cutis circa caput aut alicubi deflorescens hunc morbum peperit, et quod plane juverunt exulcerantia admota. Cute emplastro proposito jam exulcerata, ulcus unguento e *juniperi sabinae* foliis confecto servare oportebit. Si difficultas urinae nascatur, illico exuendum emplastrum, et caput unguento e *tartrite antimonii et potassae* composito illinendum.

*Alvi purgatio.*—Nihil plus operae confert ad cerebri arterias deplendas, quam alvi purgatio aut ductio acrior. Inde enim humores deorsum ad intestinum feruntur, nec vires conteruntur, si curet peritior. Optime conveniunt in hunc finem *submurias hydrargyri, gutta gambogia, convolvuli jalapae radix, convolvuli scammoniae gummi-resina*, aloë, et sales medii. Haec paulo largiori manu concedere licebit; alvus enim insigniter torpet.

Caput * quoque linteis aqua frigida madefactis refrigerari debebit, et erigi. Lux quoque et sonitus gravior, et omnia irritamenta fugienda.

*Digitalis purpurea.*—Quidam folia digitalis purpureae, ineunte hoc morbo, concedunt ; quae, facultate, qua praedita sunt, cor et arterias sedandi, cerebri incitationem devincant. Si aegrotet infans, satis erit ut guttae tres aut quatuor *tincturae digitalis* quotidie ingerantur. Ventriculus autem irritabilis raro hoc medicamentum, jam ineuntibus malis, perpeti poterit : haec quoque herba, latice jam effuso, adhibetur, uti quovis hydrope implicante.

2. Quo humor jam effusus resorbeatur, praeparatis ex argento vivo potissimum erit nitendum. Huc accedere oportet sternutamenta, alvi et urinae moventia, vim *electri-*

* Vide Cheyne.

*cam*, et alia, qua vasis *lymphaticis* ciendis accommodentur.

Quidam * parata ex argento vivo tanti aestimant, ut ea facultate propria, seu *specifica* hujus morbi debellandi praedita esse judicent. Si quid juvant, vix dubitari potest quin vasis *lymphaticis* stimulandis proficiant. Vel *submurias hydrargyri* parce ingerendum est, vel summa cutis *unguento hydrargyri* illinenda, aut circa cervices, aut femora. Diu et acriter hoc remedio utendum; quippe quod, ob aetatem teneram, et mali ipsius naturam, tardius et aegrius salivam movet, et corpus inficit.

*Sternutamenta.*—Quoniam nares fere arent, aeger sternuere debet, in nares cum anima accepto pulvere foliorum *nicotianae tabaci* aut *asari* Europaei, aut *subsulphate hydrargyri flavo*: hinc cerebrum recta cietur, ideo-

---

* Vide Dobson.

que vasa ejus absorbentia, si qua habeat. Quinetiam humores a cerebro ad membranam narium deferuntur ; unde minus laticis dein in atria cerebri fundatur, necesse est. Non minus nec aliter fere proderit, ulcus arte excitare apud cervicem.

*Alvi moventia.*—Haec non minus acriter, quam antea, utenda. Eadem fere, quae de his auxiliis supra proposui, hic pari jure conveniunt. Duplici ratione juvabunt : vasis cerebri deplendis, efficient ut minus humoris postea in cava cerebri effluat ; et vasis absorbentibus incitamento erunt.

*Urinae moventia.* — Haec iisdem de rationibus proficient. Optima sunt *digitalis purpurea*, *supertartris potassae* et *scilla maritima ;* si *digitalis* ingeritur, *spiritus lauri cinnamomi* accedere debebit, quo minus offendatur ventriculus.

Vomitum movere, quanticunque aliqui

eum fecerint, est hominem jugulare; vasis enim cerebri inde quam maxime oppletis, nocentissimus erit. *Ictus electricos* e capite elicere non inutile erit, vasis resorbentibus inde stimulatis: ne minus opitulabitur vi *galvanica* uti, quoties coelum humidum illos elici non sinat.

Etsi nonnulli suaserunt, ut cerebrum ferramentis latice expediatur, non affirmare dubitabo, id nefas esse; ne medicus occidisse, nisi servasset, videretur.

3. Dolor capitis exulcerantibus, et capite refrigerato, de quibus jam diximus, consopietur: si acerbior vexet, pedes aqua tepida erunt lavandi; unde quoque aeger noctu fortasse dormire poterit. Si vomitus et nausea insigniter torqueant, *citrate potassae* aut *aqua supercarbonate* ejusdem quietanda erunt. Pauxillum *opii* aut *aetheris sulphurici*, aut quodvis *aroma*, eodem spectabit. Aes-

tus et sitis praeparatis ex *antimonio* et potui acidulo cedent.

Ubi, morbo ad lethalem eventum properante, vires ruunt, sustinendae sunt cortice *cinchonae officinalis*, paululo vini, et aliis refocillando idoneis. Oportebit quoque aegrum alere, nutriendo idoneis per alvum infusis.

Si medicina aut natura medicatrix salutem reduxerit, cavendum ne recidat malum. Fugiendae noxae excitantes. Rus adeundum : Vires ambulando, equitando citra sudorem erigendae, cibus concoctu facilis et satis aliturus foret : et alvus indies descendere debet, aut victu aut medicamentis id molientibus.

FINIS.